TAVRICA

IVRI RVSSICO

A

CATHARINA II.

AVTOCRATRICE

BELLO, ET PACE

ASSERTA

POEMATION

E BIBLIOTHECA REGIAE VNIVERSITATIS PESTIENSIS.

PESTINI,

SVMPTIBVS IOANNIS MICHAELIS WEINGAND.

1787.

Magna, Tuum nomen, rerum menſura Tuarum eſt.

Ovid. Faſt. L. I. v. 603.

Odryſias viſura plagas, quas Marte ſecundo,
Pactorumque fide regnis adiecit auitis,
Ruſſorum fixitque aquilas, lunamque bicornem
Trans mare, qua Pontus ſenſim tenuatur, abegit,
Petropoli MAGNA egreditur CATHARINA, colonos
Imperio iunctura ſuo, quos Taurica quondam
Nutriit in gremio, ſed alit iam Ruſſica tellus.
Multis illa procis olim prenſata, *Chazaros* (1)
Hungarico, vt memorant, (2) prognatam ſanguine gentem,

(1) Chazari videntur iam in exitu ſeculi VII. Tauricam incoluiſſe. Nam *Anaſtaſius* Bibliothecarius Hiſt. pag. 110. non obſcure prodit, Boſphorum vrbem ſub Abſimaro Tiberio iuris Chazarici fuiſſe. (2) Qui in hac opinione ſunt, vtuntur teſtimonio *Conſtantini* Porphyrogeniti cap. 38. de adminiſtrat. Imperii, qui Hungaros cum Chazaris triennio habitaſſe memorat, nulloque interprete vſos.

Omnibus antetulit, complexaque fouit alumnos.
Haec illi a Volga multis erroribus acti
Deuenere loca, et ſenſim ditione potiti
Finitimas ferro domuerunt vindice gentes.
Principio *Drewli*, (3) gens ortu Slaua, ſubire
Iuſſa iugum, et *Radomenſes*, quosue Ingilus (4) amnis
Alluit, atque minor Tanais, Semumque bibentes,
Et qui *Lebediam* coluere, *Kiouia* et ipſa,
Tum prope Romanum geſtans *Seueria* nomen, (5)
Imperium facere, et dominis parere coacta eſt.
Cunctis iura dabat *Chagan*, (6) virtute leonem
Aequans, vnde illi poſt *Arzlan* (7) nomen adhaeſit,
Ipſis vſque adeo Grajis metuendus in armis,
Quos ſaepe inſeſtos repulit, pacemque coegit
Mercari precio, ſocialeque iungere foedus
Connubii. (8) Quos dein ſeries excepit, et ordo
Chaganos, virtute pari, ſuſoque cruore
Parta tuebantur, donec ſuſtollere in altum
Ruſſia viſa caput, ſpacioque incluſa minore,
Immenſum tenui exorſa eſt molimine regnum. (9)

Sed

---

(3) Hos Chazaris tributarios fuiſſe, colligitur ex *Neſtore*, vetuſtiſſimo rerum Ruſſicarum ſcriptore ad annum Chriſti 883. (4) Nunc Ingulus, olim *Conſtantino* Porphyrog. *Chydmus*, et *Chyngilus* dictus. (5) Seueria anno 884. prohibita eſt ab Olego Chazaris tributum ſoluere, vt habet *Neſtor* in chronico. Lebedia regio ab Hungarorum Duce nomen *Lebedia* obtinuit teſte Porphyrogenito. (6) Chagan, vel Chan is dictus eſt, qui Chazaris ſumma poteſtate praefuit, quod nomen etiam deinceps in Crimaea obtinuit. (7) Quem Graeci Scriptores vocant *Arceſilan*, rectius ab *Haitono*, et *Abulfeda* dicitur *Arzlan*, quod idem eſt cum Hungarico *Oroſzlány*, et nobis leonem notat. (8) *Anaſtaſius* Biblioth. refert a Juſtiniano II. Theodoram ſororem Chagano Chazarorum nuptui eſſe traditam. (9) Europam enim magnitudine ſua ſuperat, vt adeo opinione omnium ſit Imperium totius orbis maximum. Ducto a Riga initio vſque ad portum *Petripauli* in Kamtſchatka complectitur in longum 1909. milliaria.

Sed res nongentis (10) iam facta obſcurior annis,
Si modo Muſa ſauet, repetenda ab origine prima eſt.

Vrbs eſt *Ilmera* non longe amota palude,
Quam gelidus *Wolotka* ſuis vberrimus vndis
Irrigat, et tecum *Wolchov* ſe mergit in aequor
Eoum, Ruſſis maior *Nouogrodia* dicta.
Hanc numero (11) et ditione potens gens Slaua colebat,
Pacisque, et belli ſtudiis operata, diu inter
Finitimos opibus diues, atque inclita laude
Floruerat. (12) Felix! dominandi dira cupido
Si non humanas agat in contraria mentes.
Verum, vbi ſeſe inter varie, qui iura miniſtret,
Atque ferat leges, diſceptant, cedereque omnis
Turpe putat, ſerpit tacite in praecordia virus
Diſſidii, et ſenſim ciuilia bella (13) parantur,
Nullus conſilio locus eſt, raptim itur ad arma,
Certaturque odiis, quae raro obliteret aetas.
Haec facies fuerat Nouogrodae, haec triſtis imago,
Cum *Goſtomiſlus* (14) ſortem miſeratus iniquam,
Quae vos, o ciues, inquit, veſania, quaeue
Exagitant furiae? cur propria viſcera ferro
Transfoditis? ſatis eſt irarum, condite tela.
Externa vobis dominus regione vocandus,
Qui ſedet fluctus, tempeſtatemque malorum.

(10) *Rurici*, a quo Ruſſici Imperii incunabula ſumuntur, initium *Neſtor* figit ad an. 861. (11) Princeps *Schtſcherbatow* Hiſt. Ruſſ. Tom. I. pag. 241. affirmat, Slauos Nouogrodienſes facile 100000. militum potuiſſe ſub ſigna cogere. (12) Hinc eodem teſte prouerbium vulgi natum: *quis contra Deum, et magnam Nouogradam?* (13) Bellorum ciuilium, quae ex cupiditate dominandi orta ſunt, meminere *Neſtor* in chronico, et *Lomonoſſow* Hiſt. vet. Ruſſ. Parte I. cap. 10. pag. 69. (14) Erat is teſte *Schtſcherbatow* Nouogrodienſium Conſul.

Parte illa, positas longe qua Balthicus oras
Alluit Oceanus, gens degit, dicta *Varengi* (15)
Gens aequi, rectique tenax, atque inclita bello,
Quaeue olim, vt fama est, nostris regnabat (16) in oris,
Hinc poscenda salus: nondum postrema loquutum
Excepere patres, et plebs; vox omnibus vna,
Sex Oratores delectos ordine ab omni
Mitteret actutum, qui, qua sint mente *Varengi*,
Explorent. Mora nulla, illi, vrget cura salutis,
Mox iter accelerant, varioque errore viarum
Defuncti, veniunt sinuosa ad littora Dünae, (17)
Quam circum priscas sedes coluere *Varengi*.
Ut primum admissis coram data copia fandi,
Sic orsus senior *Burig*: (18) non sorte sinistra
Impulsi ad vestras peregrini appellimus oras,
Nec gremio recipi petimus, nec tecta rogamus,
Dii nobis large haec tribuerunt, vbere gleba
Terra subest nobis, est et bello apta iuuentus,
Sunt et diuitiae, nec partae laudis egemus,

Sed

---

(15) Alias etiam *Varangi*, et *Varaegi* dicti. Qui fuerint non convenit Scriptoribus. *Ibraeus* ex Danis, Suecis, et Noruegis conflatos putat, *Lomonossow* contra Slauici generis fuisse censet. At potior opinio hodie obtinet, fuisse maris accolas eis Balthicum inter Dünam et Vistulam. Vid. *Büschingii* Magazin Tom. XVI. a pag. 327. Fuere etiam Imperatoribus Orientis Βαραγγοι pro custodia corporis delecti. (16) *Nicon* Patriarcha memorat ad annum 859. tributum, quod Varengi petebant, negatum a Nouogrodiensibus fuisse, quod indicio est, illos rerum aliquando istbic potitos esse. (17) *Lomonossow* cit. op. pag. 57. et *Praetorius* in orbe Gothico Lib. 2. cap. 2. Cel. *Müllerus* mauult Vistulam intelligi. Vtrumuis sit, constat ex geographo Rauennatensi, quem *Muratorius* contra Hieron. *Rubeum* seculo IX. floruisse euicit, Roxolanos, seu Rossolanos in Prussia sedes habuisse. (18) Huius nominis pacificationi inter Igorem Russorum Principem, et Romanum Orientis Imperatorem anno 945. initae inter ceteros Legatos subscriptus legitur. Vid. Collect. rerum Russic. Tom. I. pag. 413.

Sed, qui iura, aequique modum praescribere gnarus,
Atque incompositum norit compescere vulgus,
Deest, hunc a vobis petimus; nec fama feretur
Vestra leuis, nec erit nulla huius gloria facti,
Vos tantum faciles votis subscribite (19) nostris.
Dixerat, et *Ruricus* (20) ad haec sic ore sequutus:
Haud equidem sumus ignari, nam rumor ad istas
Pertigit vsque plagas, quae vos discordia scindat,
Vtque acti in rabiem, patrium sine lege cruorem
Fuderitis, nec vos ratio, aut reuerentia Diuum
A scelere immanes poterat cohibere nefando.
Ecquis erit, sociare sibi qui tam fera corda
Aut regere imperio cupiat? nos pacis amore
Non minus ac belli studio, terraque mariquo
Nomen adepti, istis placidam seruare quietem
Nouimus, et, si res fert, bella mouere solemus
Sola aequi ducti ratione, vtramque parati
In partem, aut bellum, aut pacem deposcimus omnes
Fors vtcunque cadat. Si viuere moribus istis
Est animus, si iussa sequi, mandataque vultis,
Ibimus, et, Superi modo vestra incepta secundent,
Vos, et regna capesso, omnique tuebor ab hoste,

Finiit, et *Sineum* (21) fratrem, fratremque *Truvorum*,
Certatimque legit validam omni ex ordine pubem,
Robora militiae; stant omnes ire parati
In partem laudis; tolluntur signa, viamque
Corripiunt alacres. Nondum ter luna renata est,

Ven-

(19) In hanc fere sententiam Legatos fuisse loquutos, scribunt Princeps *Schtscherbatow* cit. Tom. pag. 243. et *Lomonossow* cit. Part. pag. 69.
(20) Hunc ex Varengis primum fuisse affirmat *Nestor* in chronico. (21) Sineus et Truvorus fratres Rurici erant, eodem *Nestore*, aliisque, qui res Russicas scripsere, testibus.

Ventum eſt ad *Nevam*, qua ſe *Ladogæ* fluentis
Exonerat. Forte hic ſaxo *Perunus* (22) in alto
Stabat, et hunc propter focus (23) ardens igne perenni,
Patria noſco, inquit *Ruricus*, numina, (24) ſeſſis
O ſocii, hic locus, et requies eſt, tendere porro
Fata vetant; ſtabiles mihi certum hic (25) figere ſedes,
Albam Oſeram *Sineus* (26) capiet, *Truvor* arua tenebit
Isborski, (27) atque hic concordes regnabimus vna,
Deque meo populi dicentur nomine Ruſſi, (28)
Quorum ingens, ſi quid veri mens augurat, olim
Creſcet, et extremum clarebit fama per orbem.
Haec fatus, mentem partes voluebat in omnes,
Disiunctos vnire animos ante omnia curae,
Tum, qua praecipue labem res publica agebat,
Obſepire viam vitiis, et condere leges,
Proemia virtuti ſtatuens, pro crimine poenam.
Neue animos ſenſim corrumpant otia, plebem
Sortiri cupidus, partem proſcindere aratro
Terram, mercatumque alios per flumina, terrasque
Exercere iubet, ſeruent iuuenesque, ſenesque,

Mira-

---

(22) Fuit id apud Ruſſos olim Idolum Ioui ſimile, quod tonitrui, et fulmini praeeſſe credebatur. *Truncus ſimulacri erat e ligno affabre elaboratus, caput ex argento, aures conflatae ex auro, pedes de ferro cuſi; manibus geſtabat lapillum, gemmis igneo colore fulgentibus adornatum, ipſum fulmen repraeſentantem.* In haec verba ſchediasma chronico *Neſtoris* adiectum. (23) Idem ſchediasma: *ex aduerſa ſimulacri parte, perennis ſeruabatur ignis, qui ſi forte per negligentiam ſacerdotis fuiſſet exſtinctus, ſacerdos ille, tamquam inimicus deo, ſuo capite luebat.* (24) *Perkun* apud Pruſſos idem erat, qui Ruſſis *Perun*, vt *Lomonoſſow* ait cit. op. pag. 55. (25) *Neſtor* ſcribit *Ruricum* ad Ladogam domicilium fixiſſe. (26) Idem *Sineum* ad lacum *Bieloſeram* conſediſſe memorat. (27) Sunt, qui vrbem *Isborsk* ferius a *Truvoro* ſtructam putent. Ceterum vtroque fratre poſt biennium exſtincto, *Ruricus* ſolus regnavit. (28) Sicut Ruſſi ſuum nomen Slauis Nouogrodienſibus, ita hi viciſſim illis ſuam linguam communicaſſe creduntur.

Miraturque ſuo non viſos tergore lembos
Neua innare, olim naues, claſſemque (29) daturos.

Iam late rumor per proxima regna vagatus,
Ruſſorum nomen gentes ſupra extulit omnes,
Et non inuitae faciunt mandata: *Kriuici*
Ante alios, tum *Weſani*, *Roſtouia*, *Tveri*,
Et *Muromenſes*. (30) Sed enim haec primordia liuor
Exedere, et totis aduerſum viribus anſus
Obniti; fratres vno de ſanguine creti
Tantum auſi, *Dirum*, et *Scoldum* (31) fert fama fuiſſe.
Scilicet haud aequis *Rurici* nomen ad aſtra
Ferri oculis cernunt; incenſi laudis amore,
Fixum exempla ſequi, et, ſi fas, par condere regnum.
Ergo viam ſimulant *Zargradum*, (32) littora turgent
A ratibus; ſtat promta, armisque accincta iuuentus,
Fortunam tentare, et quosuis ferre labores.
Ipſe animos addit *Dirus*, ſic ora reſoluens:
Si, quando patrias olim male liquimus oras

Ruri-

---

(29) Rem nauticam praecipue coepit colere Petrus Magnus conſtitutis in *Olonecz*, et *Woronecz* officinis ad conſtruendas maritimas naues, quemadmodum in vitae ſuae ephemeridibus adnotauerat. Ipſe tantus Princeps *Sardami* apud Hollandos inter fabros nauticos, velut vnus ex eorum gremio, aſciam geſtare, et operi manum admouere, non infra ſuam dignitatem eſſe cenſuit. D. *Mannſtein* Zuſätze der ruſſiſchen Geſchichte pag. 674 — 76. addit, Petrum etiam in prouincia Archangeli, et Petropoli nauales officinas conſtituiſſe. (30) Hos populos ab *Rurici* aduentu Varengis ſubiectos fuiſſe, *Neſtor* perhibet. *Kriuici* ad vrbem Poloez, *Weſani* ad album lacum, et *Muromenſes* ad Occam fluuium degebant, ad Roſtoniam vero *Merani* fuere. (31) Vterque ex primis Varengorum erant, teſte *Neſtore*, ſi non ſanguine fratres, certe conſenſione animorum ad nouum regnum condendum, quod illos moliri voluiſſe, idem *Neſtor* affirmat. (32) Conſtantinopolis, vt *Neſtoris* editor obſeruat, Ruſſis dicebatur *Zargrad*, quaſi vrbs *Czari*, ſeu Imperatoris.

Rurico duce, mens nobis non laeua fuiſſet,
Haud equidem his, vbi bruma rigens, glaciesque, niuesque
Regnant perpetuae, quisquam conſidere terris
Optaſſet, nec finem vnquam ſperare malorum
Fas eſt, ni regio, cui ſpiret mitior aura,
Accipiat profugos: hac, ii modo linquere terram
Vobis eſt animus, Danapris qua tendit ad ortum,
Patria quaerenda eſt poſthac, ſedesque locandae;
Quare agite, et fluuium proni, curſumque ſequamur.
Talibus accenſi dictis ad littora tendunt,
Bis (33) centum e trabibus, contorto fune ligatis,
Iam Danaprim preſſere rates, dat voce, manuque
Dirus ſignum, omnesque adnixi viribus vrgent
Remos, et laetis inuitant cantibus auram,
Ignari, miſeris quae inſtent diſcrimina. Vix ſe
Septima lux coelo euoluit, cum ventus ab orto
Atro permiſtus nimbo, claſſemque, virosque
Diſperſit, crebrisque accenſus ab iguibus aether
Fulmen pone latus *Diri*, ſed fulmen inane
Excuſſit; *Scoldus* cum fratre illiſus arenae,
Aegre vicinam poterat contingere ripam
Qua nunc ſtat Mohilov, ſed tunc ſine nomine terra.
Haec vnum miſeris ſolamen rebus in arctis,
Perfugiumque fuit. Sed maior cura remordet
Mentem, quae ſocios fortuna ſequuta deinceps,
Abſorptine vndis, an *Poſwisd* (34) mitior illis
Fauerit, et qua infelices nunc parte morentur?
Interea victor nubes ſol diſpulit atras,
Et *Dirus* vicina petens iuga montium, anhelis

Cun-

---

(33) Tot lembis a *Diro*, et *Scoldo* Conſtantinopolim ſerius poſtea fuiſſe tentatam ſub Michaele II. Imperatore, refert *Neſtor* ad an. 864. (34) Hoc nomine Ruſſi olim Deum aeris, ſerenitatis, et procellarum appellabant.

Cuncta oculis circumluſtrat, veſtigia ſorte
Siqua queat longe ſociorum cernere, fumus
Cum ſubito flammae immixtus ſe tollere in altum
Viſus, ſtat elaſſis *Scolde*, inquit, ſalua, *Gomano*
Hoc dederam indicium, ſi quid fortaſſe pericli
Ingruat, et ſimilem conſeſtim ſuſcitat ignem.
Accelerant omnes, condictaque ſigna ſequuti,
Sacra tibi, *Wichore*, litant, (35) tum vela ſecundo
Dant vento, et circum variis ambagibus acti,
Hic, vbi Deſna ſuis (36) Danapri coniungitur vndis,
Siſtunt, grex armentorum, campique virentes,
Paſcuaque irriguis late vernantia riuis,
Augurii inſtar erant. Laſſos his ſiſtere terris,
Dirus ait, nos vult *Kupalo*, (37) huc vertite remos,
Et curis feſſi tandem captate quietem.
Nec mora, deflectunt curſum, et, qua proxima monti
Ripa fuit, (38) lembos figunt, finemque labori.
Hoſpitium *Diro* dat ſponte Kiouia, (39) *Scoldo*
Pars datur imperii, et Sacrorum cura, *Ladoni* (40)
Quae faceret, coeptorum operum omen, et incrementum.

Vix ſedes fixere nouas, cum fama ferebat
Ruricum clauſiſſe diem, proque *Igore* (41) ſceptrum
Prendiſſe *Olegum*. (42) Quae nos, o *Dire*, manebunt

(35) *Wichor* idem eſt, qui *Poſwird*, vt habet ſupra memoratum ſchediaſma *Neſtoris* chronico additum. (36) Deſna fluuius Danapri confluens, recta Kiouiam ducit. (37) Ita deus, qui frugibus credebatur praeeſſe, Ruſſis olim dictus eſt. (38) Refert *Neſtor*, dum *Dirus* cum *Scoldo* Danapri veheretur, excenſionem feciſſe, viſaque ex monte Kiouia allectos eſſe, vt ibidem domicilium figerent. (39) Idem memorat, Kiouienſes vtrique imperium ſponte obtuliſſe. (40) Hoc nomine antiquitus Ruſſis veniebat deus felicitatis, et laetitiae. (41) Fuit is *Rurici* filius impubes. (42) *Rurico* ſanguine iunctus, quem moriturus filio tutorem conſtituit. Is pro *Igore* rem pub-

Fata inquit *Scoldus*? vix nos noua terra recepit
Hoſpitio, et iam alias fortuna inquirere coget.
Noſco *Olegi* iras, nihil is patietur inultum,
Totus ab agnato *Rurici* ſanguine ſpirans
Vindictam ſumet, *Chorſae* (43) hoſtia vterque cademus
Ante diem. Sed quid quid erit, ſtat numina Diuum
Exorare prece, et fuſo placare cruore.
Funditur at fruſtra cruor, et nil numina Diuum
Placantur precibus. Iam proximus arma minatur
Olegus, *Dirumque*, et *Scoldum* in caſtra venire
Orat, amicitiam (44) vultu mentitus, et ore.
Credulitas nocuit, veniunt in caſtra rogati,
Vtque ſimul veniunt, ſimul vna morte perire
Olegus iuſſit; ſcelus eſt, ſibi regna paraſſe.
Scoldus ad haec, ſi quod ſcelus eſt, ſibi regna parare,
Non fugimus, mortem ſed laeti amplectimur ambo.
Vix ea fatus erat, dat ſignum *Olegus*, et ambo
Exangues terram planguut: vox vltima *Scoldi*,
Anguis erit - - - tenui niſu pallentis ab ore
Excidit, et multis viſa eſt praeſaga futuri.

At nihil haec *Olegi* animum, mentemque mouebant,
Maiores verſat tacito ſub pectore curas,
Qua coepti liceat regni protendere fines,

Et

---

publicam cum laude, factaque prouinciarum acceſſione, vſque ad an. 913. adminiſtrauit, vt Princeps *Schtſcherbatow* Tab. geneal. pag. 9. in praefat. teſtatur. (43) Ex eorum numero apud Ruſſos deus, cui victimae caedebantur. (44) Narrat *Neſtor* ad an. 882. *Olegum* iter cum exercitu in Graeciam ſimulaſſe, eamque ob cauſam vtrumque exciuiſſe Kiouia, qui *Olegum* paucis comitati ſalutarint. Sed cum adeſſent, *Igorem*, quem vlnis geſtabat, vtrique oſtendit, eumque illius, quam occupaſſent, terrae haeredem eſſe, dicebat, quibus dictis vtrumque trucidari iuſſit, ſedemque Nouogrodo Kioviam transtulit.

Et porro augere imperium. Seueria primum
Opportuna peti visa est: vix eminus arma
Ostentat, supplex extemplo iussa capessit,
Mox *Rodomensis*, *Kulici*, *Drewlique*, (45) *Chazaris*
Subdita gens quondam, Russis parere coacti.
Hoc rerum auspicio cunctis incesserat ardor,
A Danapri gentes bello tentare remotas;
Ipse etiam *Olegus* laudis succensus amore,
Nomenque ad seros cupidus transferre nepotes,
Ingenti *Zargradum* adoriri destinat ausu.
Huc sex lustrorum labor, huc mens, curaque tendit,
Nulla datur requies, donec bis mille (46) carinis
Instratus Danapris vix haec iam pondera ferret.
Ergo viam Olegus prono iam flumine carpens,
Pontumque emensus Zargradae fistitur vrbi.
Attoniti haerebant Graii, tantumque licere
Mirantur populis, nondum nisi nomine notis, (47)
Et genus insolitum belli, currusque iugales
Instructos velis, leuior quos perferat aura
Quamcunque in partem faciles: (48) hinc missilis ignis
Iniectus tectis, circumque incendia spargens,
Insuetum victos cogit numerare tributum. (49)

(45) Has gentes ad pendendum tributum ab *Olego* coactas fuisse, *Nestor* refert. (46) Idem Nestor ad an. 907. perhibet, praeter copiosum equitatum terrestri itinere profectum, 2000. naues ab *Olego* ad oppugnandam Constantinopolim adductas fuisse. (47) Russi quidem iam sub *Diro* et *Scoldo*, dum Constantinopolim tentarunt, Graecis noti erant, non item populi ab *Olego* adducti, quales erant Tschudi, Kriuici, Merani, Radimici, Vatici, Dulebeni etc. de quibus *Nestor* ad an. 904 — 907. pluribus agit. (48) Affirmat *Nestor*, currus ab *Olego* ita instructos fuisse, vt aspirante vento, equorum loco, velis moueri potuerint, quorum ope suburbia Constantinopolis incensa fuerint. (49) De tributo a Graecis pendendo ita inter cetera conuentum, vt cuiuis Russo soluerentur 12. *Griui*. Fuere autem in

qua-

Ipſi etiam Thraces, Beſſique, et Iazyges acres
Olegum donis onerant, facit accola Ponti
Iuſſa libens. Victor ſpoliis, praedaque potitus,
Ingentem clypeum, quo bella ciere ſolebat,
Pro porta victae defixit (50) poſtibus vrbis,
Manſura obtenti ex Graiis monimenta triumphi.

Inde remenſurus curſum, dare lintea retro
Iuſſerat; incumbunt remis, et coerula verrunt,
Vrbs e conſpectu rapitur, terraeque recedunt.
Iamque fere ſextum Phoebus diem ab axe reuexit,
Cum procul apparent montes, et regna (51) Thoantis,
Huc, ait, o nautae, huc remis aduertite curſum,
Nuper vti Graios, ita nunc virtute Chazaros
Vinci poſſe ratus, vouitque in littore taurum
Peruna, ſua ſi numen modo vota ſecundet.
Continuo aſpirant faciles in carbaſa venti,
Peneque iam portum laeti, terramque tenebant,
Cum ſubito pluuias adopertus nubibus auſter
Inducens, coelum eripuit, noxque atra labori
Intentos fruſtra, curſum mutare coegit,
Rectaque aduerſus Danaprim conuertere claſſem,
Qua ſaxa ex imo fundo proſtantia ſpumas
Torquent, et vaſtos tollunt ex gurgite fluctus.
Hic socii infeſto quaſſatas turbine naues
Subducunt, ſiluisque trabes aptare, nouosque
Illiſis ſcopulo pergunt ſupponere remos.

Inter-

---

quauis naui 40. Ruſſi. Itaque cum fuerint naues 2000. tributum vniuerſe, demto equitatu, confecit 960000. *Grius*. Erat autem *Grius*, ſi editori *Neſtoris* credimus, idem cum vetere libra Ruſſica. (50) Addit *Neſtor* praeterea, *Olegum* auro, frugibus, vino, aliisque donis a Graecis excultum fuiſſe.

(51) Cherſoneſus Taurica, in qua olim Thoas regnabat.

Interea *Olegum* varias ſub pectore curae
In partes verſant, quid tantum numina in iras
Impulerit, cur ſe coepto deſiſtere curſu
Cogant, et Graiis nolint ſociare Chazaros,
Indeque Rufforum innideant clareſcere nomen?
Haec dum animo voluit, media ſub nocte iacentis
Viſa adſtare oculis *Scoldi* vmbra, ac talia voce
Cum gemitu miſta fari: quid numina demens
Incuſas? polluta meo tua dextra cruore
Hos claſſi ventos, tempeſtatemque ciebat,
Neue vnquam poſſis portus intrare Chazaros,
Anguis erit, (52) qui te medium complexus, equoque
Proſiliens laedet, cogetque abrumpere vitam.
Serius at nomen Rufforum Taurica noſcet,
Et colet imperium, famamque ad ſidera tollet.
Femina erit dux facti, quae plus MATRIS habebit
Quam DOMINAE, quamuis DOMINAE quoque nomen habebit,
Et, quae Maiores longo congeſta labore
Parta tenent decora, et famam, in ſe colliget vna.
Haec illi ventura olim pia numina ſeruant
Proemia, ringatur licet, atque obſtacula texat
Liuor. Sed prius haec rerum innumerabilis ordo
Excipiet, quae mole ſua ſex ſecla fatigent.
Inde, vbi *Perunus* mediis ignobile lignum
Pronoluetur aquis, (53) et diuos *Olga* paternos (54)

An-

(52) Monitus erat *Olegus* a vate, equum, quem chariſſimum habebat, mortis illius cauſam futurum. Comperto, equum interiiſſe, a quo ſibi hactenus ſummo ſtudio cauerat, volens vatem mendacii arguere, cadauer acceſſit, equique caput pede pulſauit, cum inde proſiliens anguis pedi illius ſe implicuit, et *Olego* vulnus lethale inflixit, ex quo haud multo poſt obiit. Haec *Neſtor* ad an. 91. (53) Schediaſma, cuius ſupra mentio facta eſt, memorat Wladimirum cognomento Magnum, poſt ſuſcepta Sacra Chriſtiana, mandaſſe, vt *Perunus* caudae equorum alligatus, in Boryſthenem praeceps

Antiqua ſede eiectos ſpoliabit honore,
Et noua religio patriis ſucceſſerit aris,
Incipiet ſeries rerum ſe euoluere, ſenſimque
Vltra hunc, qui colitur, ſe Ruſſia porriget orbem.
Sanguis *Anicanus*, (55) qua flectit plauſtra Bootes,
Primus ſternet iter: Caſan hinc, (56) atque altera ab aſtro
Quae nomen ſumſit, (57) quique alta cacumina montium
Iugoriae ſuperant, *Woguli*, *Tavgi*, *Karaguſſi*,
Tunguſiique, (58) et, quos extrema alit Aſia, *Tchutski*, (59)
Nomina nunc ignota quidem, ſed ſerius olim
Prodenda, Imperio accedent, Ruſſosque ſequentur.
Hos *Irtiſch*, *Baikalque* lacus, tum *Lena* ſtupebunt
Conſpicuos armis, greſſus protendere in auſtrum,
Molirique vrbes, ſurget *Nerſchinskoa* (60) Sehilkae
Contigua, et nigrum decorans *Albiſſina* flumen, (61)
Qua prope Mungalicos contingit *Dauria* (62) fines.

At

---

ceps ageretur, conſtitutis duodecim ſatellitibus, qui abeuntem fuſtibus verberarent. (54) Fuit *Olga* Igoris vxor, quae anno 948. Conſtantinopoli Sacris Chriſtianis initiata eſt. (55) *Anica Strogonof* mercator Ruſſus, qui ſalinas in prouincia Archangeli curabat, primus cum iis, qui vltra montes Iugorios degunt, notitiam contraxit, a quibus pretioſas pelles leui pretio emebat. Collectae ex his diuitiae inuidiam illi conflarunt. Itaque metu ductus, rem omnem *Iwano Waſiliewitſchio* Ruſſorum Czaro detexit, qui ea occaſione vſus, ditiones ſenſim in Aſiam proferre coepit. (56) Regnum Caſan idem Czarus occupauit anno 1752. aut, vt vult D. *Coxe*, Neue Endeckungen der Ruſſen zwiſchen Aſien, und Amerika Part. II. pag. 313. anno 1558. (57) Aſtracanum idem Czarus anno 1554. in poteſtatem redegit. (58) Siberiae magnae populi vſque ad Kamtſchatkam diffuſi, qui Ruſſis parent. Vid. *Fiſcheri* Einleitung in die ſibiriſche Geſchichte. (59) Hi quidem nondum Ruſſis obnoxii ſunt, vt D. *Coxe* ſcribit, non procul tamen videntur abeſſe, vt obedientiam profiteantur. (60) Vrbs ad fluuium *Nertſcha*, qui in *Schilkam* influit, a Ruſſis condita, Sinis *Nipchou* dicta, celebris a pace inter Ruſſos, et Sinas confecta. (61) Alias *Amur* dictum, Sinis vero *Helong-Kiang*, et Tartaris *Sangalien-oula*. Ad hunc fluuium Ruſſi vrbem *Albiſſinam* condidere, vnde diſſidia cum Sinis orta. (62) Is regionis tractus, qui ab extremo Mungalo-

sum

At Seres non haec oculis aſpexerit aequis,
Impatiens virtute parem conſidere iuxta
Se populum, lites primum, tum bella (63) mouebit,
Bella ſed optato quae Ruſſus foedere (64) claudet,
Quo regni gazam ingenti diteſcere (65) lucro,
Atque nouum Oceanum detur, luſtrareque terras.

Quin

ſum in Septemtrionem limite initium ſumit. *Daur* enim Mungalis limitem notat, vt eſt in *Witſens Noord en Ooſt Tartarye* etc. *twede druck pag.* 89. (63) Belli huius complures meminere, in primis P. *Gerbillon* Ieſuita Gallus in epiſtola ad P. *de la Chaiſe*, qui Ludouico XIV. Galliarum Regi a ſacris confeſſionibus erat. Iſthic de Ruſſis loquens in haec verba proſequitur: *qu'ils ſont enfin trouvés voiſins des états de l' Empereur de la Chine, et s' etoient meme etablis dans une province, que ce Prince pretend lui appartenir, et y avoit bâtir une Fortreſſe, qui les rendoit les maitre de la chaſſe des marters, zibellines, et autres animaux, dont les peaux ſont les fourures les plus precieuſes, que nous connoiſons, et dont il y a tres grande quantité dans cette province. Et cela c' eſt qui a donné occaſion à la guerre, qui eſt entre les Moſcovites, et les ſujets de l' Empereur de la Chine depuis environs* 30. *ans.* (64) Pax miſſis vtrinque Legatis confecta eſt. Ex parte Ruſſorum erat *Fedor Alexievicz Gollowin* Siberiae Praefectus, ex parte vero Sinarum, *Samagatu*, *Tumchan*, et Imperatoris *Cam-by* auunculus. Legationis comitatum idem *Gerbillon* ita deſcribit: *le notre eſt tel, qu' il y a avec nous plus de* 8. *au* 9000. *hommes, quoi qu' il n' y ait que* 3000. *ſoldats effectifs, et environs* 150. *Mandarins, le reſte n' etant que valets. C'et gens de vices* 12. *à* 15. *milles chevaux, environs* 3000. *Chameaux*, 100. *grandes barques, et pres de* 50. *pieces de canon etc. Les Plenipotentiaires Moſcovites ſont auſſi venüe evec aſsez grand equipage, plus propres et plus magnifiques que les notres en leurs perſonnes, habits etc. mais auſſi leur ſuite eſt ſans comparaiſon moins nombreuſe.* Ad pacem, quae anno 1689. die 3. Sept. in vrbe *Nerſchinskoa*, conſtitutis vtriusque Imperii limitibus coaluit, feliciter terminandam multum operae contulerant duo Ieſuitae, nempe dictus iam *Gerbillon*, et *Pereyra* Luſitanus, quos Imperator *Cam-by* interpretes in hac pacificatione conſtituit, vt rurſum *Gerbillon* ſcribit: *les Plenipotentiaires Moſcovites nous ont promis de leur part, que les grands Ducs leur maitres apprenant les bonnes ſervices, que nous leurs avons rendus, tant à la Cour de Pekin, que dans ces conferences, ils ne manqueront pas de favoriſer notre Compagnie en Moſcovie.* (65) Pax anni 1689. interrupta fuit Seculo

Quin *Nipbon* (66) ſupra, et *Kuriles*, et cycladas *Umnak*, (67)
Vnde velut nubes, nondum bene cognitus orbis
Cernitur, (68) infeſti ſulcabunt aequora Ruſſi,
Herculeasque dein transuecti claſſe columnas,
Tyrrhenum late pelagus, Seſtumque, et Abydi
Littora terrebunt, victores Naxus, et Argos
Hoſpitio accipient, ſed nondum Taurica. Multo
Illa cruore prius ſtabit, ſi rite recordor
Oſtenta, vt primum regno ſe Ruſſia noſtro

Foede-

XVIII. ad quam redintegrandam anno 1719. miſſus Pekinum fuit *Iſmailoff*, qui rem eo adduxit, vt ei liceret *Laurentium Lange*, qui Ruſſorum curam haberet, Pekini relinquere. Verum anno 1722. rurſum diſſidia orta, ad quae componenda *Raguſinskio*, ortu Dalmatae, legatio decreta eſt anno 1727. qui pacato Sinarum Imperatore, foedus anni 1689. prolongato Ruſſici Imperii limite, feliciter inſtaurauit. In hoc foedere ratio mercatus praecipue eſt habita. Indultum Ruſſis, vt ſocietas (Carauana) mercatorum, quorum numerus vltra 200. non excreſcat, omni triennio Pekinum veniret, quod ingenti cum lucro factum eſſe, nullum dubium eſt: priuatis vero ſolum in limitibus ad *Kiachtam*, et *Zurucbaitu* mercari liceret. Indultum ad haec, vt Ruſſis licitum eſſet, templum Pekini ſtruere, cuius curam quatuor Sacerdotes haberent, additis aliquot adoleſcentibus, qui linguam ſinicam diſcerent, olim interpretes futuri. Ceterum mercatus anno 1759. penitus fuit interruptus, qui anno demum 1780. ſub CATHARINA II. priſtino flori reſtitutus fuit. (66) Incolae Iapones ſuam inſulam *Nipbon* appellant. (67) Vna ex praecipuis inſulis vulpinis: *Kuriles* infra *Kamtſchatkam* iacent. Ceterum inſulae hae, vt Cel. *Forſter* Geſchichte der Entdeckungen, und ſchiffahrten in Norden pag. 549. recte exiſtimat, merito *archipelagus Catharinae II.* appellari deberent. (68) Americam ſupra *Tſchutskos* non longe ab extremo Aſiae angulo diſtare, dicitur Cl. *Beering*, et *Tſchirikow* anno 1741. detexiſſe. D. *Steller* itineris ſocius vidit in littore, ad quod applicuerant, catenam montium, qui in apice niuibus tecti, in crepidine autem ſiluis conſiti erant, longiſſime tendi, item aues, et herbas, quae ſoli Americae propriae dicuntur eſſe, tum incolas etiam, qui hoſpitibus amicitiae, et pacis cauſa tabacam fumariam offerant, quod nuſpiam alibi, quam in Europa Septemtrionali vſitari aiunt. Quae argumenta licet D. *Coxe* non videantur ſatisfacere, tamen ex

naui-

Foederibus diuiſa tribus coniunxerit alba, (69)
Et ſaxum, quod mole ingens (70) nunc haeret in imo
Finnorum pelago (71), ſuperas euadet ad auras,
Huicque inſiſtet eques, gentis ſtator, (72) arduus armis,
Tum victam demum ſe dedet Taurica, ſceptrumque
Agnoſcet DOMINAE, quam aetas ventura vocabit
Virtute, et meritis, et vero nomine MAGNAM.
Dixit, et his dictis, *Scoldi* diſparuit umbra,
Olegusque domum repetens ictu occidit anguis.

Fallor, an haec propiore afflatus Numine *Scoldus*
Euentura olim ſignarit tempora vates?
Non fallor, regnum iam Ruſſe capeſſis auitum,

---

nauigationibus D. *Cook* iam compertum eſt, peninſulam, quam Ruſſi *Aljäska* vocant, partem eſſe continentis Americae, quae *Tſchutskis* iam pridem videtur fuiſſe cognita. Siquidem D. *Pleisner* faſi ſunt, ſe cum Americanis mercari, ad quos iter ſex dierum eſſet, idque ſic ab ſe fieri, vt quauis nocte in aliqua inſula intermedia quieſcere poſſint: Ad Californiam quoque Ruſſos tempeſtate appulſos eſſe, teſtatur P. *Caſpar Miraglia*, Miſſionarius Ieſuita, vt eſt in additamentis itinerarii *Franc. Xav. Veigl.* pag. 337. idque anno 1761. Forte fuerit nauis illa, de qua D. *Pallas* in haec verba ſcribit: 'ferner wurde im Auguſt 1760. ein Schiff vom Terentii Tſchebaew ausgerüſtet, man hat aber von ſeiner Fahrt keine Nachricht. Anni vtcunque congruunt. (69) Alba Ruſſia Imperio Ruſſico ſub CATHARINA II. penitus aſſerta eſt, tametſi iam prius anno 1653. ab Alexio Michaëlowitſio occupata, et foedere Andruſſouienſi anno 1667. tum pace Moſcouitica an. 1686. Ruſſis confirmata eſſet. (70) Erat id 42 pedes Pariſinos longum, latum vero 27. et 21. altum. Pondus ſaxi tricies centenorum millium librarum, et amplius fuiſſe dicitur. (71) Latuit id in ſinu Finnico, viginti milliaribus a Petropoli repertum, et a Comite *Carbury*, alias *Laſcary* dicto extractum ex fundo, in quo ad altitudinem 15. pedum haerebat. (72) PETRVS M. cuius ſtatuam equeſtrem ex aere fuſam ſaxo illi affabre elaborato, tanquam baſi, Imperatrix aeternae Principis illius memoriae Petropoli in foro Petri die 7. Auguſti locari iuſſit, addita inſcriptione Ruſſica et Latina: PETRO I. CATHARINA II. ANNO M. DCC. LXXXII.

Saxo inſiſtit eques, gentis ſtator, arduus armis,
Et DOMINAE, nomen cui *Magnae* mundus vterque
Indidit, agnoſcit iam tandem Taurica Sceptrum.
Hoc Illa Oſmanidum pulſis feliciter armis,
Prenſura incedit, Procerum ſtipante caterua,
Quos olim pulchro conſperſos puluere belli,
Hoſtibus extorta ornauit victoria lauro,
Et qui conſilio in curas, partemque laboris,
Sit licet Ipſa ſibi ſatis, atque ingentia regni
Pondera ſuſtineat, de nobilitate vocati,
Seruant fidum arcano, et non penetrabile pectus.
Non id blanditiae, metus, aut verſutia, mille
Tecta dolis, nec ſuluum adeo corruperit aurum,
Tanti eſt intemerata fides, AVGVSTAQVAE Ruſſis.
Hac pompa, nec tam gemmis inſignis et oſtro,
Quam praecelſo animo, tum maieſtate verenda
Concilians populos, quos nuper cruda tenebat
Vinctos barbaries, et non placabilis ira,
Cunctorum vultus in ſe conuertit, et ora.
Non iam priſca illis armorum cura, minaces
Tendere nec gaudent arcus, nec ſueta lacertis
Spicula torquere, et ſolitis inſtare rapinis,
Sed, poſita feritate, ſuos iam fingere mores
Hoſpitum ab exemplo diſcunt, pompamque ſtupentes,
In ſola fixi DOMINA, mirantur euntem.

Te quoque, qui heſperium ſpecula moderaris ab alta
Imperium, par maieſtate, comesque vocatus
Qui latus AVGVSTAE ſtipas, pompaeque decorem
Auges, exiliunt viſo, et ſua gaudia promunt,
Non aliter, quam ſi celſo Gradiuus olympo
Demiſſus, clypeo, parmaque, et caſſide demtis,
In medio populi ſe ſe mortalibus aequet,
Te, veluti coelo lapſum, Crimea iuuentus,
Quam fama aduentus patriis exciuit ab oris,

Te videt, atque oculos nequit exſatiare videndo.
Et non defuerint forſan, quos Martius ardor
Tentarit tua ſigna ſequi, potiusque ſub illis,
Prima rudimenta armorum condiſcere, quam ſub
Kalka (73) militiae ingratis adſcribere nomen.
Hos illorum animis, quae Te, quascunque per oras
Longinquum ſi carpis iter, comitatur euntem,
Corporis, atque viae ſemper fidiſſima cuſtos,
Lecta cohors iuuenum, quos duris cognita rebus
Virtus, atque fides commendat, ſuggerit ignes.
Et niſi ſigna vocent, dentque aera ſonantia flammis
Laetitiae indicium, et populus crebreſcat eundo,
Quem cœpere locum, cupiant perſiſtere eodem.

Me quoque, nemo vetat, Cherſonis viſere muros,
Et ſpectare decus pompae, AVGVSTAMQVE tueri
Iuuerit. O!, qualem, Superi! ſuccincta virorum
Agmine, quos Tameſis, Ligerisque, et Rhenus aquarum
Arbiter, extremis oris acciuerat, vrbi
Se ſe infert mediam, atque animos, et corda ſuorum
Demulcens, et agens Romano more triumphum
Laeta ſubit portam pario de marmore ſtructam.
Multo illa, et longo dudum ſudata labore
In media latuit Paro, et hos ſpectabat ad vſus,
Cum forte Auſtriadum, ſolo comitatus Amore,
Has Genius volucri curru peruenit in oras,
Artificemque rudes in marmore ducere ſulcos,
Et formare arcum cernens, quem munera ſpectent,
Scimus, ait, ſe ſeque accingit et ipſe labori,
Clamque manus adhibens operi, coelare futuri
Temporis euentus pergit. Dextro latere alueum

(73) Hoc nomine Tartari Crimaeani ſuum ſupremum belli Ducem dicunt.

Incidit Danapris, classemque natare per vndas,
In medio locat antennas, his carbasa iungit,
Russorumque aquilis expansas addidit alas,
Fecerat et lenem spirare in carbasa ventum,
Transtra super nautas nudis agitare lacertis
Remos, et tenuem sub remis crescere spumam,
Vexillum prorae adrectit, puppique magistrum,
Qui clauum regat, et venturam consulat auram.
Non procul hinc rostris super, inque coronide nauis,
AVGVSTAE illustres comites illo ordine quemuis,
Quem seruare gradum mos est, imponit, et addit
Cuilibet appositam pompae vestem, oraque prona
In DOMINAM format, credas audire iubentem,
Et cupidos quemuis, nutum obseruare tuentis.

Parte alia in fluuii ripa, campoque virenti,
More salutantis Rex adstat Lechicus, omnesque
Attonsi Proceres late fulgentibus armis.
Hinc latus accincti gladiis, hinc defiua talos
Vsque terit vestis, supra caput ardua in auras
Crista micans surgit: sculpit tentoria circum
Diffusa in campis; nec longe a flumine centum
Tormenta effingit, pyrio iam puluere foeta,
Classis in aduentu flammas, sonitumque datura
Laetitiae: in medio conuiuia lauta parantur,
Russis ante alios subsellia prima reseruat,
Inde locum Lechi capiunt, ignobile vulgus
Hinc procul amotum temere procumbit in herba.

At, qua se moles spacioſum curuat in arcum,
AVGVSTAE Natum fida cum coniuge, prolesque
Exprimit. Hinc similem Patri, spem gentis et omen,
Caelat Alexandrum, Russis, sed serius olim,
Ex Auiae norma, leges et iura daturum.
Inde addit Constantinum, qui lumine fixo

Altai

Altai (74) montes, et Chinae regna tuetur,
Tum ſociat nondum quinquennem (75) vtrique ſororem.
Circum illos Aſiae varias longo ordine gentes,
Diſſimiles vultu, linguis, et veſtis amictu,
Huic Pudor, et Charites, et aperto Gratia vultu
Sunt comites, atque hinc longe ſtans pronuba Iuno
Iam nunc multorum librat connubia regum.

Contra autem ſtudio ingenti, dextraque morante
Hetruſcum fingit iuuenem, quem miſerat Arnus,
Et nunc Iſter habet, quem regnis fata regundis
Seruant, et qui iam ſpes AVGVSTI impiger aequat.
Olli ſubflauos crines dedit, osque venuſtum
Ferre, quod a patris, matrisque ab imagine ſumtum
Conciliet populos, tenerumque inſpiret amorem,
Quem tamen armorum, magno ducente magiſtro,
Temperet ex aequo ſtudium. Prope fecit Eliſam
Adſtare, et ſponſum aeterno ſibi nectere vinclo,
Progeniemque omnem ſtirpis, ſerosque nepotes,
Innocuas animas, ſubluſtri condidit vmbra.
Ter quoque tentabat, ſed maieſtate retractus
Deſtitit AVGVSTOS coelare, manumque repreſſit.

Sic ornata ſtetit moles, oculosque tuentum
Plures viſa dies tenuit, cum ſigna profectui
Edita totam vrbem luctu, lacrimisque replebant.
Crimaeam ſpectabat iter: ruit ilicet omnis
Turba, et quisque ſuo iam munere ſunctus, euntes
AVGVSTOS praeit, et ſequitur lateque patentes
Explorat campos, ne quis fortaſſe latentes

Stru-

(4) Alias etiam *Altag*, et *Ecbtag* vocantur, quaſi dicas montes aureos: de his Iuſtinus in excerptis legationis Zemarchi ad Moccanchanum agit. (75) Alexandra Paulowna nata eſt 9. Aug. 1783.

Struxerit insidias; sed enim Fortuna, comesque
Anteuolat Fama, atque metum procul arcet inanem.
Iamque *Perecopiam* ventum, qua Pontus vtrinque
Infusus terram spatio discriminat arcto,
Transmissaeque pylae, longisque ambagibus actos,
Hospitio tandem *Batschisaraia* recepit.
Interea aduentus iam dudum dicta fama
Impleuit laetis cupidas rumoribus vrbes.
Nec mora, *Murzorum* (76) properat genus omne, remotis
Concurritque locis, quos *Karasbasara*, *Goslov*,
Et *Baluklava*, et *Karasu*, tum *Caffa*, *Keretque* (77)
Progenuit, vultuque, et laeta voce per auras
Gaudia testati, atque animis concordibus omnes
Iurauere fidem DOMINAE, datur vndique signum
Laetitiae, et festis collucent ignibus vrbes,
Crimaeamque ipsam melior iam pernolat aether.

Atque haec diuersa penitus dum parte geruntur,
Vndique conferto se stipans agmine turba
Confluit, intentisque oculis spectacula nondum
Visa stupet: sed, quos aegre retinere potestas,
Innocuum pueri genus, innuptaeque puellae
Praeripiunt senibusque locum, et primo ordine capto
Attoniti mirantur, hiulcisque oribus adstant
Vix animam prae laetitia, et nouitate trahentes.
Quos *Hadschi* senior, captato tempore, dictis
Increpat, et, quid vos, inquit, queis gaudia curae
Sunt alias, nunc, cum tempus quoque suadet, inertes
Stertitis, et vacuas frustra consumitis horas?

Quin

(76) Hoc nomine Tartari Crimaeani suos Nobiles compellant.
(77) Nomina praecipuarum vrbium peninsulae. Postrema aliis scribitur *Kerscb* et *Gjerscb*, olim, dum Graecis parebat, verisimiliter vrbs *Bosphorus*, et Caffa dicta *Theodosia*.

Quin agite, et DOMINAM quique in ſua vota vocantes,
Quod reliquum eſt, patriis hilares traducite ludis.
Sic *Hadſchi* pueros, nec ſegnior *Hemka* puellas
Parte alia ſtimulat. Dictis arrecta iuuentus
Sponte ad nota ſibi confertim gaudia currit,
Atque aliam pueri ſeriem, ſeriemque puellae
Efformant aliam; dant ſiſtrum et tibia ſignum.
Ilicet alterna modulantes carmina voce
Concelebrant DOMINAM: populos quot vicerit armis,
Quotue olim partos confecta pace triumphos
Egerit, vt turgens hoſtili ſanguine Pruthus,
Biſtonidum ſcuta, et foedata cadauera tabo,
Haſtasque, et gladios prono deuexerit alueo,
Vtque benigno hoſtes, ſi quos ſibi foedere iunxit,
Accipiat vultu, quamue hi ſeruire parati,
Certatim, et cupide, faciles mandata capeſſant,
Inuictosque duces, coelo quos Martia virtus
Addidit, et tanta gaudent, certantque mereri
Sub DOMINA, gentesque nouas, orbemque repertum
Trans mare hyperboreum, qua algens glacialia regna
Vrſa tenet. Nec te felicem, Taurica, cantu
Praetereunt, laetasque imo de pectore voces
Ingeminant: TIBI SE AETERNVM CRIMAEA VOLENS DAT,
ET DICAT. Inde leues pro gentis more choreas
Ducunt, diuerſa pueri parte, atque puellae,
Implexique manus tenui ſua corpora motu
Explorant, vt, cum Zephyri per prata vagantur,
Molliter aſpirant foliis, ſic leniter illi
Subſiliunt primum, mox aequis paſſibus inter
Se coëunt, ventoque pares vertuntur in orbem,
Dimiſſis rurſum ſociis, vtrinque recedunt,
Et redeunt iterum, gyrosque reſumere pergunt,
Commutantque vices, vt primum tibia, ſiſtrumque
Inflexere modos, iamque has, iam rurſus in illas

Senſim flectuntur vario glomeramine partes.
Ductor erat genius, certe mihi viſus adeſſe,
Namque obſcura aliis credunt ſe cernere vates,
Viſus adeſſe, inquam, genius, vultu, oreque prorſus
Illi conſimilis, cui pulchrum nomen adhaeſit
Crimaei. (78) Hoc ductore ſuos cum flectere gyros,
Inque vicem properant verſa ſtatione redire,
Senſim AVGVSTORVM deſcribunt nomina motu,
AVGVSTAE nomen pueri, AVGVSTIQVE puellae
Myſterii expertes; ſed vbi ſe ductor in auras
Suſtulit, et tenui depromſit nomina voce,
Qualem ferme Echo iam languida reddere ſueuit,
Illico vulgatus rumor, populique per ora
Diditus, AVGVSTOS, dapibus, menſisque repoſtis
Exciuit: fama aduentum praeuertit, et omnis
Turba ſuis diuiſa locis iuſto ordine, vocem
Gaudiaque interea preſſit, ſaltansque iuuentus,
Submiſſo AVGVSTOS vultu venerata, quieuit.

Atque hic longaeuus, cui ſexageſima pridem
Aeſtas transacta eſt, *Murzarum* ſanguine clarus,
E medio populi ſe trudens agmine, coram
AVGVSTA ſtitit, et bipatentem myſtaca mulcens,
Tartarico exorſus ſermone, o Maxima, dixit,
Quas Europa colit, Reginarum, haud ſine Diuum
Numine Te MATREM cupimus, DOMINAMQUE veremur.
Namque mihi haec olim patruus praedixerat Achmeth,
Dum PETRVS, magnum, ſed formidabile nobis

No-

(78) Princeps *Dolgoruki*, cuius de Imperio Ruſſico merita poſtremo praecipue bello Turcico comparata, illi ab Auguſta nomen *Krimſkoi*, ſeu Crimaei conciliarunt, ad morem Romanum, qui a deuictis prouinciis nomina victoribus indidere. Obiit anno 1782.

Nomen, Cimmeriam cum milite venit ad vrbem, (79)
Cunctaque torrenti similis, qui monte volutus
Praerupto, fuerint quaecunque, obstacula sternens,
Et campis dominans molem diffundit aquarum,
Perculit, et classem vicino in littore (80) sistens,
Terrorem late sparsit victricibus armis,
Nos frustra interea fidentes viribus, ausi
Contra ire, et turmas insani opponere nostras,
Sed miseri prensare fugam, et montana coacti
Quaerere, qua se se *Iarimstambolia* (81) tollit,
Atque hic more ferae, siluestribus abditi in antris,
Spemque metumque inter latitamus, donec abisse
Certus victorem rumor retulisset ad aures,
Tunc ego, vera etenim fabor, iuueniliter ardens,
Suasit et ipse pudor, postremas carpere turmas
Optabam, similisque mihi iam stabat in armis
Pubes, cum me Achmeth medium complexus, abire
Conantem vetat, et, quae te in discrimina demens
Praecipitas, inquit, maiora heu! viribus audes.
Diuersa his nostrae est pugnandi norma, modusque,
Et nil profecturo aduersum nitimur ausu.
Nos gaudemus equis, celeresque, vt signa reuulsit
Hostis, cedentem sequimur, fugimusque sequentem
Qua cui facta via est: nos sueti viuere rapto,

(79) *Kersch* ad fretum ex opposito insulae Taman, olim bosphorus Cimmerius. (80) Petrus M. anno 1699. ex *Azov* soluens, classem duodecim nauium ad vrbem *Kersch* applicuit, coegitque Praefectum eius vrbis *Hasanum*, vt Legatum Russicum *Uikrainczowitschium* mari Constantinopolim ire pateretur, vt ipse Czarus in suo diario Parte I. §. 5. pag. 9. notauit. Crimaeam vero ipsam Burchardus Christoph. *Münich*, supremus armorum apud Russos Praefectus anno 1736. ingressus, vastitatem vsque ad vrbem *Batschisarai* circumtulit, quem anno sequente sequutus *Lascy*, Chamum Tartarorum ad vrbem Karasbasar, inito proelio, profligauit. (81) Vrbs *Caffa*, Turcis Iarimstambol, quasi parua Constantinopolis, dicta.

Nullo hominis miſeros capimus diſcrimine, captosque
In pecudum numero, aut his quoque peius habemus
Humani expertes ſenſus, nec cura futuri
Nos tangit, fortuna vicem ne auerſa rependat.

Contra acies illi ſtruere, et diſpeſcere turmas,
Cogereque in cuneum ſi res fors poſcat, et vſus,
Sumere iam Lunae formam, iam tendere late
Cornua, quadrato (82) rurſus ſe ſe agmine in arctum
Contrahere, obnixuque ſuo remouere phalanges
Hoſtium, et ordinibus norunt conſiſtere denſis,
Haud facile arrepta ſemel ex ſtatione mouendi.
Vt ſaxum, quod forte abruptum ex vertice montis
Labitur, et toto ſe pondere fixit in alga,
Non id ventorum rabies, non vlla procella
Hinc moueat, ſed contra omnem vim mole ſua ſtat.
Sic durum hoc hominum genus eſt. Si proelia miſcent,
Non temere, vt nobis mos eſt, concurrere, verum
Arte virum conferre viro, nec pectore pugnam
Auerſo ordiri ſueuere, in cuncta parati,
Si forte occurrant ſubito diſcrimina, murique
Inſtar conſiſtunt, tum ſenſim tendere in hoſtem
Vna omnes, pariterque ſuas coniungere vires.
Et quamquam primum varios hinc inde ciere
Aſſultus ſoleant, finis tamen omnibus idem,
Oppoſitas toto perrumpere robore turmas,
Atque mouere loco pugnae, palmaque potiri,
Et, quae res nobis ignota eſt, parcere victis.
Quare age, et aduerſum noli contendere fata,
Adueniet tempus, modo ſi praeſaga futuri
Mens non me ludit, veniet ſed ſerius illud,

Quo

(82) Hanc formam *Münich*, dum Crimaeam ingreſſus eſt, in itinere vt plurimum tenuit.

Quo gens haec noſtris olim dominabitur oris,
Atque aliam terrae formam, populoque dabit. Tum
Te fortunatum, fuerit ſi vita ſuperſtes.

Haec AVGVSTA mihi patruus memorauerat Achmet,
Siue illi hoc genius, ſiue adſtans Taurica virgo
Indidit in ſomnis, vatem non vana loquutum.
Euentus rerum docuit, luxque iſta, beatis
Accenſenda, arcto qua nos Tibi foedere iungis.
Plura loqui cupidum ſublatus ad aethera clamor
Vulgi interrupit, vitam, longosque precantis
AVGVSTAE, AVGVSTOQVE annos, ſna vota puellae
Iungunt immixtae pueris, et carmina rurſus
Alternis celebrant, patrias iterantque choreas.
Ecce autem haec inter, dictu mirabile, claro
Lapſus ab axe fragor, ſequitur lux aurea rubrae
Permiſta, et tenui diuergens ſyrmate ad auſtrum
Signat iter, Pontique freto prolapſa dehiſcit,
Qua ſua Chalcedon multos iam feſſa per annos
Rudera monſtrat, inane gerens per ſecula nomen.
Attoniti haerebant omnes, praeſaga futuri
Omina voluentes animo, fatale diei
Neu quid portendant, aut turbent gaudia luctu,
Cum binae ſubito liquidas ſe tollere in auras
Parte illa, qua lux, et lucis ſyrma videri
Deſierat, ſunt viſae aquilae, varioque volatu
Fatidicos ſupra Euxinum deſcribere gyros,
Tum recta ad notae Cherſonis tendere littus,
Multarum augurium rerum, coecosque ferentes
Secum vna euentus, quos olim tempus, et ipſum
Par AVGVSTORVM, poſito velamine, pandet.

ERRATA	CORRIGE.
Fol. 2. lin. 29.	
Novogradam - - - - -	*Novogrodam.*
Fol. 8. auerſo lin. 34.	
Europa. - - - - -	America.
Fol. 9. auerſo lin. 14.	
AVGVSTAQVAE. - - - -	AVGVSTAQVE.
Ibid. lin. 28.	
Crimea - - - - - -	Crimaea.
Fol. 11. auerſo lin. 9.	
MVRZORVM - - - -	*MVRZARVM.*